

notum facimus universis hanc litteram visuris et audituris, quod divorum nostrorum .. progenitorum inclitaeque conthoralis nostrae Mechthildis, ac fidelis militis nostri Heinrici de Slynitz piae memoriae saluti animarum cupientes providere unam marcam reddituum in villa Swynitz districtus Myßnensis sitam, et quam idem Henricus nomine testamenti in vita et in mortis agone monasterii sanctae Aerae cuidam altari per eum ob reverentiam beatae Agnetis aliis redditibus prius dotato legavit, eisdem iuribus ac attinentiis universis, quibus eandem ipse miles et sui .. heredes a nobis in feodo possiderunt, condonavimus dedimus appropriavimus vigoreque huius literae donamus tradimus et appropriamus solempnitate resignationis, si qua per eosdem fratres .. heredes facta nondum esset, non obstante, quod forte hucusque ex causis legitimis distulerunt, per .. praepositum ibidem et .. custodem dicti claustris iusto proprietatis titulo possidendam et in usus ipsius altaris taliter convertendam, quod statutis et debitis temporibus missa perpetua, sicuti cum domino .. praeposito et custode claustris ibidem dominus Henricus canonicus ecclesiae Myßnensis et alii sui .. germani concordaverunt, in eodem altari habeatur et quod altarium servientibus altari debite suo tempore ministretur. Ut autem haec nostra appropriatio debitum sorciatur effectum, hanc patulam scribi nostrique secreti munimine propter absentiam sigilli nostri maioris fecimus roborari, praesentibus nobile Friderico comite de Orlamunde, Albero de Maltitz curiae iudiciae milite, Henrico dapifero de Bûrnis, Bodone de Ilburg iuniore, Martino de Rotis, Hugone de Fûre et Nycolao de Gyten notario. Datum et actum Dresden anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo septimo in vigilia Epiphaniae domini.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem kleineren Siegel des Landgrafen (Gemme) an einem Pergamentstreifen.

No. 206. 1347. 18. Apr.

*Der Probst und Convent versichern, dass aus der durch den Burggrafen Meinher geschehenen Präsentation ihres Mithraders Frenzelin von Schleinitz zum Pfarramte zu Lommatzsch Seiten ihres Stiftes ein Anspruch an die dortige Pfarrkirche und sonst nie gemacht werden solle.*

Nos Petrus praepositus, Conradus prior totusque conventus canonicorum regularium monasterii sanctae Aerae in Mysna recognoscimus et tenore praesentium publice profitemur, quod nobilis vir dominus Meynherus burcgravius in Mysna et comes in Hartenstein pensata utilitate ecclesiae parochialis in Lomatz, ac considerata circumspectione discretione ac honestate personae domini Frenzelini de Slynitz concanonicus ac confratris nostri, ipsum ad eandem ecclesiam ex resignatione honorabilis viri domini Henrici de Slynitz canonici Mysnensis vacantem praeposito ecclesiae Mysnensis seu eius officiali praesentavit, non intendens nobis aut nostro monasterio aliquod ius incorporationis aut quodcumque aliud tribuere per huiusmodi praesentationem, nec nostrae intentionis existit, quod aliquod ius incorporationis seu quodcumque aliud, aut occasione[m] incorporandi nostro monasterio eandem ecclesiam ex huiusmodi praesentatione velimus nobis vindicare. Quod praesentibus promittimus bona fide, et si aliquod ius nobis aut nostro monasterio competere posset ex praedicta praesen-